



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IX. An, & quommodo officium, ac potestas Porcuratoris ad judicia dati
finiatur per revocationem ejusdem à Domino factam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. IX.

An & quomodo officium, ac potestas Procuratoris ad judicia dati finiatur per revocationem ejusdem à Domino factam?

Quod Procurator ad lites ante litem contestatam liberè revocari possit, (modò nullum ex inde præjudicium incurrat revocatus Procurator) non autem post litem contestatam, expressè statutum habetur in *c. Quamvis 2. h. t. in 6.* Cùm enim per litem contestationem fiat hujus instantiæ dominus, consequenter ipsius interest, non revocari saltem nolens, nisi causa aliqua intervenerit ex illis, quæ in *relato. c. referuntur*, & probata fuerit. Neque tamen hoc ipso Procuratorem revocare quis censetur, si generaliter constitutus sit, quòd ipse dominus causam agere velit, prout habetur statutum in *c. Si quem 8. h. t. in 6.* Cùm per hoc quòd Procuratorem in genere constituerit dominus, jus, sua agendi, per se non amiserit, neque alteri auferre velit, si fortassis ipse absit, aut agere aliter non possit. Debet autem revocatio Procuratori, ut valida sit, & sententia contra illum lata, in præjudicium Domini nulla sit, fieri saltem coram testibus, ut probari possit, & pervenisse ex voluntate Principalis ad notitiam Procuratoris revocati, uti sumitur ex *c. Ex insinuatione 3. h. t.* ac partis adversariæ, uti sumitur ex *c. In nostra 4. h. t.* (cujus interest, ne revocetur Procurator) aut judicis, uti sumitur ex *c. mandato 13. h. t.* Non tamen tenet revocatio Procuratoris, quæ fit in contemptum judicis, præsertim Sedis Apostolicæ, & in præjudicium adversarii, pro-

ut sumitur ex *c. Audiis 8. h. t.* & revocans in expensas condemnari potest ab adversario factas, à tempore revocati Procuratoris, si revocatio facta fuit, postquam in causa conclusum est (ob contumaciam scilicet partis litigantis, quæ nec per se nec per Procuratorem in judicio vult comparere) neque potest substitutum Procurator, qui substituendi potestatem à domino habet, revocare post mandatum procuratorium substitutionis ab eo acceptum, quamvis hoc usus nondum fuerit (cùm à domino non revocandi, sed substituendi concessa sit illi licentia) nisi post litem contestatam substituerit, quo in casu revocare poterit substitutum (causâ tamen cognitâ) pro jure suo sibi, ut domino litem, non quidem à domino, sed à legibus concessio.

§. X.

De revocatione Procuratoris ad negotia, & aliis modis, quibus finiunt officium Procuratoris sive ad negotia, sive ad judicia dati.

Etiam Procurator ad negotia extrajudicialia, à Domino constitutus ad hoc revocari potest, liberè quidem, & pro arbitrio constituentis, si res adhuc sit integra, quamvis sit sub juramento de non revocando constitutus; ex justa verò causa, si res integra non sit amplius, ne mandatarius talis damno afficiatur. Suum autem effectum revocatio hæc Procuratoris ad negotia extrajudicialia generaliter constituti habet, ubi notitia illius ad hunc devenerit, & intimata hæc fuerit, ita ut, quæ à revocato, sed ignorante suam revocationem acta fuerunt, ordinariè valida sint, non tamen, quæ ab